



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ESEKANENSIS^{*}** IN CAMMARUNIA NOVA

CONDITUR DIOCESIS NOMINE ESEKANENSIS Pro gravissimo Nostro munere supremi Pastoris

Ecclesiae de omnium Christifidelium spirituali bono atque regimine solliciti, accipiemus esse putamus sententiam
Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium atque Praesulum Congregationi pro Gentium Evangelizatione
praepositorum, qui ad aptius in Cammarunia consulendum evangelizationis operi, re mature perpensa auditisque eorum
quorum interest faventibus votis, censuerunt nuper in eadem Natione novam constituendam esse dioecesim, quadam
detratta parte ab archidioecesi Dualai'nsi. Summa igitur Apostolica potestate ab archidioecesi, quam diximus, distrahimus
partem quae complectitur totum civile territorium « Département de Nyong-et-Kelle » nuncupatum, ex eaque novam
condimus dioecesim Esekanensem appellandam, quam metropolitanae Sedi Dualaënsi suffraganeam facimus atque
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illius totius civilis
territorii, quod memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedralm collocari in tempio Beatae Mariae Virgini Fatimensi
dicato, quod exstat in suburbio Esekanensi, pariterque consultores dioecesanos eligi et adhiberi ad normam iuris; cetera
quidem secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda curabit Venerabilis Frater Sanctes
Abril y Castelló, Archiepiscopus titulo Tamadensis, Apostolicus Pronuntius in Cammarunia, vel ab eo delegatus
sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad
Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die altero et vicesimo*
mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

JOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXV (1993), n. 6, pp. 472-473

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana